



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Libri, Deo docente à S. Ignatio conscripti. Cap. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

sum Diuinum esse, ipsamque Diuinam essentiam. Et cum nondam literas didicisset, tamen sublimi ratione, per visionem intellectualem, de unitate essentiae, & personarum Trinitate adeo instructus est, ut homo idiota, librum de Trinitate scripserit, suae conuersionis initio.

Huc referenda est celeberrima S. Spiritus visio, qui S. IGNATIO Constitutiones Societatis condenti, tum alio modo, tum ut olim Apostolis, modo insolito, in flamma ignea saepe apparuit.

Sed & Sanctorum Angelorum, ac beatarum animarum apparitionibus, non semel purissima S. IGNATI mens recreata est.

Cum in Callinati monte, Exercitiis Spiritualibus excoleret ad pietatem, Procuratorem Caesaris, Petrum Ortizium, & pro salute B. Hozij socij sui, (quem grauius aegrotare cognouerat,) Domino supplicaret, repente vidit in spiritu (quod ipsum ibidem S. Benedicto fertur olim in obitu Germani Episcopi contigisse) animam socij, luce clarissimam radiantem, deducentibus Angelis in sublime ferri, atque ipsa demum caeli beatissima regna conscendere.

Eidemque S. IGNATIO paulo post, dum ad rem Diuinam accedit, in ipso Missae introitu, Sanctis omnibus rite appellandis, lucidissimum caelestium agmen subito apparuit, sic, ut in ijs B. Hozium, eximio fulgore micantem, sine vlla dubitatione dignosceret. Qua ex utraque visione tanto est gaudio delibutus, ut multos dies praedulcedine lachrymis temperate nequiecit.

Cum Ioannes Codurius e primis Patribus vnus, e graui morbo in vltimum vitae periculum esset adductus, ad rem diuinam pro eius salute faciendam S. IGNATIUS, aedem S. Petri in Monte Aureo petijt: cum ad medium ferè peruenisset pontem Ianiculensem, (qui Sixti pons hodie dicitur;) sublatis interitibus repente in caelum oculis, animam Codurij conspexit luce coruscantem, in caelum, inter choros Angelicos deportari, deinde conuersus ad comitem Baptistam Violam: Domum redeamus, inquit, Codurius noster migravit e corpore.

Alio quoque tempore Societatis Constitutiones scribenti, Sanctos cum Deo regnantes, tali modo sese ostendentes aspexit, quem se explicare posse negabat.

Saepe etiam, non internis tantum mentis auribus, sed externis quoque, caelestis musicae concentus suauissimos audiebat, dum Societatis Constitutiones scriberet; quorum harmonia ineffabili, totus dissoluebatur in lachrymas, ac caelesti amore feruebat.

Cum Sacrificio Missae interesset, primo post suam ad Deum conuersionem anno, in templo PP. Praedicatorum, dum a Sacerdote salutaris hostia attolleretur, apertissime vidit, illa specie, Christum Deum eundem & hominem, verissime contineri.

Scribens Constitutiones, dum sacram Hostiam consecrasset, scriptasque Societatis leges Domino offerret, vidit Deum Patrem valde sibi propitium ac benignum, certo quodam signo indicantem, gratum sibi esse, ut pro eo, Virgo Deipara oraret, statimque Virgo Sanctissima S. IGNATIO apparuit, Patri caelesti IGNATIUM commendans, suamque carnem in carne filij sui, in S. Eucharistia praesentis, esse demonstrans.

CAPVT QVINTVM.

Libri, Deo docente, à S. Ignatio conscripti.

Librorum quoque aliquot, à S. IGNATIO, non sine diuino magisterio conscriptorum, commemoratio, tamquam effectus & appendix quaedam prophetici luminis, hoc loco ponenda videtur. Quamuis autem omnia S. IGNATI scripta & epistolae, caelestem quandam sapientiam, humanam, & modis ordinarijs acquisitam, maiorem redolent; in aliquot tamen libris, à S. IGNATIO editis, illa magis apparuit.

Primus liber, quem S. IGNATIUS primo anno post suam conuersionem, adhuc Grammaticae ignarus conscripsit: fuit de SS. Trinitate octoginta ferè foliorum. In eo, post admirabilem illam SS. Trinitatis visionem, de qua capite praecedenti egimus, ita hoc admirandum mysterium, quoquo potuit stylo, magna atque insolita similitudine, & exemplorum varietate ac copia, expressit, ut cuncti, quibuscum hac ipsa de re agebat, obstupescerent.

Alter circa idem tempus liber, ab eo, adhuc literarum ignarus, scriptus est, Deo ipso reuelante, ac Beatissima Virgine Maria docente, Exercitiorum Spiritualium: in quo miram planè sapientiam ac methodo, praeter alia multa salutaria monita, varios orandi ac contemplandi modos, ad morum rectam institutionem, ac in virtutibus progressum, accommodatos praescribit: & rationem tradit examinandi conscientiam, vitia extirpandi, dignoscendi graua à leuibus peccata; prauos animi affectus compefcendi; boni ac mali spiritus motiones discernendi; certum vitae statum eligendi; electum ad normam diuinæ voluntatis dirigendi; scrupulos abigendi; denique illustria proponit praecipua, ad spirituum discretionem spectantia. Hic liber ille est, qui primos Societati socios peperit, & in eis S. FRANCISCUM Xauerium: qui vitis illustribus caenobia multa referat; multos religiosos viros, labantes, in suscepro vitae consilio confirmavit; solutos vagosque, vinculis seuerioris disciplinae adstrinxit. Omnis denique status Secularis, & Ecclesiastici homines innumeros, ubique terrarum, vel ad perditam vitae emendationem,

rem,